



ORATIO HABITA FIRMI.


In Aula Perilluſt. D D. Priorum die vndecima menſis Decembris, Anno M. D CIII.

A Camillo Gypſio Bononien. I.V. Doct. Collegiato in auſpicijs ſuarum prælectionum,

Cum ibi Iura Ciuilia in prima Ordinaria ſede pomeridianis horis profiteri inciperet.








FIRMI,
Apud Hæredes Sertorij de Montibus, & Io: Bonibellum 1603.
Habita D D. Superiorum Facultate.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.
D. PETRO ALDOBRANDINO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO
PATRONO COLENDISSIMO.



CAMILLVS GYPSIVS I.V.D. S. & F. P.



Ffero amplitudini tuæ habitam Firmi orationem, veluti flosculos quosdam, si minus odoris suauitate fragrantes, at certe gratum olitoris animum referentes, postquam enim hæc, quasi nitentia Academiæ Firmanæ viridaria auspicio tuo, in parte mihi commissa colenda suscepi, suscepti etiã muneris esse duxi, hoc quasi primiueris, & culturæ meæ initio, eos in manus tuas augustissimas emittere, ea quidem spe fretus, vti

maturæ æstate, seu potius autumno felici benignitatis tuæ, quæ me tam leni, ac secundo huc prouexit spiritu, aura fauente, ex floribus, tempestiui fructus efflorescant. Interim Deus te diu incolumem seruet, ac tueatur. Vale. Firmi, die xi. Mensis Decemb. anni M. DC III.

ORATIO HABITA FIRMI in Aula Perilluſt. D D. Priorum die xj. menſis Decemb. 1603.

A CAMILLO GYPSIO Bonon. I.V. Doct. Collegiato in auſpicijs ſuarum prælectionum, cum ibi Iura Ciuilia in prima Ordinaria ſede pomeridianis horis profiteri inciperet.



Ogitanti mihi diu, multumq. animo verſanti, Illuſtriſſime Præſul, Reuerendiſs. Proarchiepiſcope, Magiſtratus Perilluſtris, Prior inſignis, Patres celeberrimi, Proceres, & Viri nobiliſſimi, Adoleſcentes ſtudioſiſſimi, Cæteri quotquot adeſtis humaniſſimi auditores, vnde maxime vobiſcum hodie verba facturus orationem auſpicarer, plura in mentem veniebant; me deterrebat amplitudo in me collati muneris; agnoſcebam enim Gymnaſia celeberrima, auditorium virorum Illuſtrium, & Excellentiſſimorum, iuuenes acutiſſimos inſtruendos, quæ prouincia, licet præbeat occaſionem comparandæ exiſtimationis apud eos, quibus placere glorioſum eſt, eam tamen humeris meis fortaſſe imparem fore dubitabam; Inclytæ etiam huius veſtræ, & antiquiſſimæ Ciuitatis laudes ſeſe mihi offerebant, Iuriſprudentiam meritis encomijs ad cœlum extollere, & adoleſcentes iſtos ad ſtudia illius capeſcenda cohortari animus

ſuadebat; adeo, vt cum paucis plura complecti non poſſem, multa rerum copia inops effectus, decreuerim prudentem illum pictorem imitari, qui cum breui tabella immenſi gigantis altitudinē emetiri ſe non poſſe intelligeret, ſatis eſſe putauit, ſi illius digitū appingeret, ita enim fieri poſſe, prout ab vngue leō, vt ex minima parte totius corporis magnitudo appareret: Agam igitur de probi, & ſapientis hominis cognitione, vt inde Iuriſprudentia ipſa per ſeſe ingenia ad ſtudia incitatiſſima etiam, atque etiam incitet, ac inflammet, & quæ decent de vobis, de me ipſo, & meis ſtudijs noſtra complectatur nec prolixa, neque ingenijs veſtris, vt ſpero, indigna oratio; fauete quæſo animis, & auribus pro veſtra in me ſingulari humanitate. Cynicorum Princeps Diogenes, dum hominem ſapientiſſimum, & rurſus mutato conſilio eundem omnium animantium inſipientiſſimū appellauit; non penitus deſipuiſſe mihi videtur, dum enim hominis conditionem mecum ipſe reputo, videor videre animal prouidum, ſagax, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, præclara quadam conditione præ cæteris à Deo generatum; eſt enim ex tot animantium generibus, & naturis ſolus particeps rationis, cum cœtera ſint omnia expertia, & ex eo, vel maxime cōſtat, eum à Deo eſſe, cum ipſe Deus intelligentia ſit, ſenſus, ac ratio; vnus homo ſagaciſſimus, & prudentiſſimus, multa ſimul agitat, cauſas rerum, & conſecutiones videt, ſimilitudines transfert, & diſiuncta coniungit, cū præſentibus futura copulat, omnemq. contemplatur vitæ conſequentis ſtatum; vnus aſtrorum ortus, obitus

intelli-

intelligit, deflectiones Solis, & Lunæ cognoscit, prædicitq. in futurum, quæ, quantum, & quando futuræ sint. Hunc cum statuisset summus rerum opifex efficere cœlestem, reliqua vniuersa ad terram inclinauit, ipsum ad cœli contemplationem erexit, vt eò spectaret, vnde illi origo esset, & in terris degeret, non vt incola, & ciuis, sed vt spectator superarum rerum, atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinere dignoscitur; reliqua enim ad terram depressa ideo sunt, quia nulla illis immortalitatis est expectatio, sed toto corpore in humum proiecto, ventri, pabuloq; seruiunt, vt non immerito de homine cecinerint poetæ. Sanctius his animal, mentisq. capacius altæ; Deerat adhuc, & quod dominari in cœtera posset; Natus homo. Quod si homines non esse, nedum specie corporis, sed etiam rationis intelligimus potestate, non ne satis perspicuum est, hominem vnũ tanquàm numen, tanquàm Deum aliquem, vt ita dicam, inter cœteros animantes degere? Sed mutato cõsilio Diogenes hunc ipsum hominem insipientissimum omnium animantium appellauit, ridiculas hominum, etiam Philosophorum ineptias forsan animaduertit Cynicus, quorũ alij sunt conati per omnem ætatem à risu abstinere, perpetuo se fletui dedentes, alij quidem in effusiores cachinnos ita procliues extitere, vt insani haberentur, ridiculi quidem ambo, nisi ille risum, & hilaritatem hominũ in rebus fluxis, & instabilibus deplorasset; hic autem eorundem eiulatum in leuissimis etiam rebus collachrimantium derisisset; considerauit. Cynicus hominem

minem esse animal iracundum, superbum, auarum, rapax, crudele, hostile, inconstans, varium, multiplex, nunquam in eadē permanens sententia, de quo iure illud canitur: Quod cupijt spernit, repetit, quod nuper omisit, Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis; vidit hominem in naturalibus ipsis longe ineptiorem cęteris animantibus, & infeliciorem; pluma volucrem tegit, piscem operit squama, villus iumenta, & feras vestit, concha testudinem excipit, ebur elephantem tuetur, solus ipse inermis nascitur, & nudus. Quid potius habuit brutis in coniunctione maris, & fœminæ ipse homo? Mos fuit Garamantibus passim cum fœminis degere, Scythæ præter ensem, & cyathum omnibus etiam vxoribus, & liberis vsi fuere cōmunibus; Apud Massagetas singuli singulas ducebant, sed tamen alienis vxoribus, volentibus maritis quandoque abutebantur. Quid memorem, Arabes omnibus fratribus vnam constituentes cū qua natu maior pernoctaret, cæteri interdiu ad eam accederent? Adeo vt incertam venerem brutorum more prorsus sequerentur homines, & in hanc sententiam Poeta. Et Venus in syluis iungebat corpora amantum. Quid magis inauditum, & nouum de homine, quam vt Derbicibus, & Massagetis fas esset consanguineos, & parentes senio confectos enecare, immaniter, & prodigiosè deuorare existimantibus rectius à se quam à vermibus absumi? Quid magis naturæ, & gentium rationi repugnans, quàm vt Romani sexagenarios senes de ponte deijcerent, vnde & senes depontani? Quid plura? In legibus ipsis condendis asperos, crudeles,

deles;& immanes præse tulerunt homines. Quæ maior immanitas potuit excogitari, aut inclementiæ, quam vt ex duodecim tabulis æs alienum confessi debitores, qui in ære non essent soluendo, capitis pœnas luerent, vel creditoribus traderentur dilacerãdi? Quid aliud emergebat ex ijsdem tabulis patri indulgentibus venundare filium, forsan necessitate famis, quam vt natus apponeretur patri Thiestæis dapibus absumendus? Quæ res in maximum coniecit lapsum apud Platonem Trasimachum, vt nihil aliud esse ius voluerit, quam quod potentiori placuit, & proinde quodcunque is, qui plus posset lege sua iuberet, aut vetaret ius esse, repugnante etiam plerunque natura, Quod enim ab ipsa natura proficiscitur constans, & perpetuum est, semper idem, & vbique idem; Ignis vrit apud Firmanos, & omnes alios Nix omnibus alba, bene olentium odor omnibus suauis; At iura quam varia apud varios? Romani condignis pœnis afficiunt fures, Lacedemonijs vero furta fuerunt impunita, & acriter eos tantum coercebant, qui in furto depræhensi, essent negligentius furati. Quæ omnia si recte perpendantur, an ex omnibus animalibus vllum est homine atrocius, vllum stolidius vllum magis expers rationis? Recte igitur Diogenes homo est animal sapientissimum,& insipientissimum. Sed quo spectat hæc tua doctrina Diogenes dũ prædicas hominem sapientissimum,& rursus eundem hominem insipientissimum? oportuisset ostendere quã ratione sapientes, & veri homines euadamus; quid vitare, quid sequi deceat, quid vtile, quid inutile, quid honestum, quid turpe foret. Ille lucernam in

Sole

quæ omnis eſt ſapientiæ fons, & origo, Non enim ſumus ſufficientes excogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt: Ab huius inexauſta bonitate, cuncta bonitatem participant, nosq; bonitatem humanam ad ſummam illam bonitatem referentes ad ipſum vere bonum attolimur; qui Deus eſt. Quid obſecro, (Auditores) aliud ſapere humanitus, quàm philoſophari, ideſt ſapientiam appetere, & quid aliud eſt philoſophari, quàm Deo ſimillimi euadere? Deus intelligit & agit, vt intelligit omnium cauſas apud ſe habet, qui rerum cauſas inquirit, Deum ipſum inquirit, vt agit omnia conſtitutis quibuſdam legibus coercet, ac moderatur, qui leges, qui ſapientum decreta perquirit, is ad Deum accedit? Sapienter Ariſtoteles problema Diogenis expoſuit, dum ait, ſicut optimum eſt animalium homo lege fruens ſic peſſimũ animalium eſt homo à lege, & iuſtitia ſeparatus. Iuriſprudentia enim recte viuendi, honeſtatisq; formam exquiſite præſcribit, hominem pace, vnitate, concordia fideliter adiuuat, animaduerſione irreuocabili, & inconcuſſa pellit vitia, crimina punit, turpitudines fugat, iniuriam propulſat, efferatos animorum motus cohibet; Initia Iuriſprudentiæ ſi ſpectemus coeterna ſunt Deo, etiam ante mundum ab eodem conditum, intrinſecus quidem in eſſentia Dei quatenus ab initio futura ſciuit, iuſſit, prædeſtinauit, extra Deum in ipſa mundi, & rerum creatione; Nondum enim cœli, & terra conſtiterant, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, appendebat fundamenta terræ, Finem illius

si inuestigemus nobilissimum inueniemus, est enim veri I. C. finis ad quem tendunt eius responsa adeptio iustitię, quæ omnium rerum æquilibrium esse videtur, quandoquidem virtutes inter extrema constituit; Hanc Philo allegoricè Paradisum deliciarum, appellauit; Fluuius enim emanat, vt irriget Paradisum, & in quatuor diffunditur capita Phison appellatur primum circuit terram Heuilat, secundum ambit Ethiopiam, & appellatur Geon, Tigris tertiũ labitur in Aegiptios, Euphrates quartum: Maximus ille fluuius vnde quatuor profluunt, virtus est vniuersalis iustitia, à qua quatuor emergunt regiæ virtutes, prudentia, quid agendum, fortitudo quid sustinendum, temperantia quid eligendum, Iustitia quid cuique tribuendum significans; In hac eadem iurisprudentia Enciclopediam, seu aureum scientiarum ductum haberi facile est intelligere, nam si de antiquitate rerum est quæstio, nobis profectò cum historicis, aut Romanis, aut Grecis agendum erit, si de argumentationibus cum Dialecticis, si de quantitate, ac proportione cum Mathematicis, si de motu, ac natura cum naturali, si de valetudine, morbis, ortu, ac interitu cum Hippocrate, vel Galeno; Medicorum enim placita ad iuris quæstiones referuntur, & I. C. ex mente Hippocratis septimi mensis partum legitimum ostendit, Astrologiam in iudicijs maxime sibi necessariam intelligunt peritissimi quique iudices, vt vera à falsis testimonia, cum de nocturnis agitur delictis decernere possint; sic Alcibiades Athenis hæroseos postulatus, quod statutas Mercurij certa no-

 ctis

ctis hora confregisset, iudicum sententia iure fuit absolutus, quod ipsa hora nox esset illunis; Morum virtutes quanti sint æstimandæ vidit Socrates. ea ratione vir bonus, & sapiens ab Apolline nuncupatus, qui animaduertens naturalis Philosophiæ modicum esse fructum, eamq; ad officia vitæ parum esse necessariam, inuexit primus Ethica Athenas, deq; illis in officinis, & in publico quotidie philosophans, ea potius inquirenda hortabatur, quæ mores instruerent, & quorum vsus domi esset necessarius eas in hac eadem Iurisprudentia haberi quis non cognoscit? Fortitudinem, ipsosq; viros fortes adeo faciunt leges, vt decernant. Quicunque pro patria pro republica strenue pugnantes ceciderint in bello, per gloriam viuere intelligantur; & alibi. Si miles in prælio cadens in vagina, aut clypeo literis suo sanguine rutilantibus scripserit hæredem, testamentum, haud irritum, sed firmissimum habeatur. Ignauiam damnāt leges, dum præcipiunt, ne locus in acie deseratur, terga verrantur hostibus, clypeus, alia ve arma abijciantur. Audaces insequuntur, iubentes, eos, qui in bello rem à Duce prohibitam fecerint, aut mandata nō seruauerint capite plecti, etiam si res bene cesserit; probant ea quæ sunt temperantis hinc legitima matrimonia, hinc dotes priuilegijs augentur; desideratur procreatio, & educatio liberorum; ea vero quæ sunt intemperantis, abhorrent. Sic lex Iulia de adulterijs eos grauiter punit, qui adulterium, stuprum, incestum, aliaue libidinis scelera commiserit, liberalitatem etiam laudant, dum permittunt donatio-

nes

nes, prodagalitatem deteſtantur adminiſtrationem interdicentes; Honoris ſtudium, & magnanimitatem fouent, dum iubent dignitatum ordinem ſeruari, Manſuetudinem, vel clementiam prohibentes, ne conuicia congerantur in aliquem. Amicitiam ſanguini comparant, veritatem adeo amant, vt duodecim tabulæ falſos teſtes e ſaxo Tarpeio deicij iubeant, ſcurrilitatem oderunt mimis, & hyſtrionibus infamiam irrogantes: Iuſtitiam denique, & prudentiam poſthabeam, cum nemo ſit, qui non facile perſpiciat Iuriſprudentiã in his potiſſimum verſari, & illis oppoſita non ignoret homicidia, iniurias, furta, rapinas. Verum enimuero N. quemadmodum Sol ipſe ſi aere craſſiori,& nubibus inuoluatur radijs, palleſcentibus, & obſcuris cuncta hebetat potius, quàm illuminat. Si vero pura luce clarus, & expers caliginis, & nubium oriatur omnia radijs, & fulgore ſuo illuſtrat, ita ſummum ius, ſummaq; ratio Dei, & naturæ cum primum à Cœlo deſcendit in nubes, & in caliginem gentium tenuem quandam, & obſcuram iuris immaginem hominibus imprimit, at caligine, & nube iuris radijs purgata, quod emendatione fieri dicimus,& benigna interprætatione iura tandem pia, ſancta, & æquiſſima gentibus à Cœlo delata maximo ſplendore eluceſcunt; Variantur enim leges pro locorum rerum euentuum occaſione, & licet variæ ſint apud varios, omnes tamen nituntur ratione, quæ à prima dependet, quinimo quanto magis res fluxæ mutantur, tanto magis reſurgunt leges in rebus variatis, & multiplex mutatio

est rerum quidē mutatio, sed legū conseruatio, quàm sane mutationem Atheniensis hospes contemplatus aiebat leges nō ferri, neque abrogari ab hominibus, sed Deum quidē omnia, opportunitatemq; simul cū Deo cuncta gubernare. Interpretatio, & ipsa est maxime necessaria, tum ad eruendos veros legum sensus, tum ad æquitatē constituendam, quæ legis est anima, & mens, siue clementiæ, siue seueritatis habenda sit ratio. Fastu enim tument, & arrogantiæ, vitio carere minime possint, qui se omnia perfecte etiam sine præceptore discere, ac tenere gloriantur; Nam apud Platonem Socrates in Phedro disciplinas ex sermone potius, & viua voce quàm ex lectione hauriendas existimauit: & si satis esset ex solis scriptis sæ loue commentario sapere, haud quaquam operæ pretium fuisset tot philosophos per externas nationes peregrinari, vt eos audirent quorum commentaria priuatim legissent; Cui non sunt Euclidis audita summis laudibus celebranda pericula, qui muliebri stola indutus noctu Athenas cum id Megarensibus capitale foret, vt Socratem Philosophantem audiret accedebat? cui non sunt exploratæ Demostenis vigiliæ? cui non nota à perorante Calistrato parta eloquentiæ Fama? Sunt igitur A. duo præcæteris, quibus iura ne dum honesta, & laudabilia, sed pia, & sancta omni ætate conseruantur iusta legum emendatio, & benigna earū interpræratio, quorum vtrunque iampridem prisca ætas est consecuta tum Imperatorum, & pęcipue Iustiniani ope tum, etiam I.consultorum: habuit enim illa ætas splendidissima illa

iurispru-

iurisprudentiæ lumina Iurisconsultos veteres, qui tātæ probitatis, tantæq; scientiæ fuisse feruntur, vt illis inconsultis Imperatores nihil determinare sint ausi, ex eorum prudentia digestorum opus compositum nullus ignorat. Sed priscæ patrum inuidet nostra, & patrum nostrorum ætas, qua quamplurimi, alij, licet minoris auctoritatis, tamen insignes, etiā interpretes sunt excitati, quorum alij solida doctrina celebres, alij subtilitate conspicui, alij fertilitate, & summa rerum copia vberrimi extiterunt, quibus cum Scæuola, Paulus, Vlpianus, & tota vetus iurisprudentum cohors reuixisse videtur. Præ cæteris clarissimi nominis, apud vos floruit insignis ille Ioannes Bertachinus de legali disciplina optime meritus, apud nostrates vero primi nostri I. Consultus Annibal Marescottus, Paulus Tussignanus, Ioannes Baptista Palmerius, Antecessores celeberrimi, qui iura ciuilia in hoc amplissimo vestro Gymnasio summacum laude, & omnium admiratione ante me sunt professi. Tempestiuus iam locus est, vt ad vos proceres, & viri Firmani nostra deflectat oratio; superuacaneum esse videtur inquirere probi; & sapientis hominis normam, quando ego vos viros probos sapientes, & omnium virtutum genere cumulatissimos inuenio, agnosco, & circumspiciens vndique coronam istam, vbique cerno totidem, non dicam probos viros, sed hæroas, talis vestra est qui rempublicam administratis, non morali solum illa prudentia, sed heroica, qui ius dicitis non mortali solum illa iustitia, sed hæroica, qui arma tractatis non morali tantum fortitudine, sed heroica, qui leges, qui sacrosancta Patrum decreta enodatis,

datis, non sapientia quadam humana, sed heroica; Vos ego mei amantis. agnosco, qui mihi hanc prouinciam nimis honorifice sentientes demandastis, cuius exiguæ vires optatis, si minus responderint, enitar, si non doctrina, & eloquentia, omni certe vigilantia, & studia, id omnes, vt intelligant, me nihil impensius cupere, quam vobis parere, & quoniam mei non est, aut pudoris, aut instituti de me plura loqui, id vnum dicam, agnoscere me in memet ipso propensionem quandam in studia iurisprudentiæ, quæ non solum me perpetuo comitata est, ex quo dignoscere aliquid, & deliberare cœpi, verum etiam à maioribus nostris in multos nostræ agnationis deriuat, adeo vix aliqua temporis intercapedo intercesserit, qua ex familia nostra vnum, aut alterum I. Consultum non enumeremus: Vos vero optimæ spei adolescentes Lycurgi, & Solonis generosa progenies, quibus integer æui est sanguis ingenium viuax, occasio rerum bene agendarum, quibus Dei munere fœlicia hæc tempora procedunt. Ponite vobis ob oculos summæ probitatis, & sapientiæ exemplar Clementem Octauum P. Opt. Max. Si enim teste Plutarcho est legis effectus Iustitia, & Principis opus lex, est vero Dei imago Princeps, Deo autem maxime conueniunt liberalitas, & clementia Sanctissimus hic noster Clemens Christi in terris Vicarius præseferens eodem tempore clementiam, & improbitatis odium præbet se simul clementem, & malis infensum, auream que pacem omnibus statuit, quis non intelliget eum quam maxime omnium, qui in terris dominatur Deo simillimum fieri? Ponite vobis ob

oculos

oculos Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum S. Rom. E. Cardinalem Petrum Aldobrandinum omnium virtutum, & ſcientiarum viuam Palladem Scholarum veſtrarum decus, & ornamentum affulgens, qui facit nobis hæc ſtudiorum otia, honeſtiſſima certe otia, in quibus quisquis max. negotiatur maxime otiatur, ſub cuius fœliciſſimis auſpicijs licet mihi in hoc Gymnaſio otiari cum commilitonibus præſertim tanto ingenio præditis tanta eruditione excultis, vt in eorum ordinem adſcribi ſumma ſemper cuiq; bono, & erudito futura ſit nõ iucunditas modo, ſed gloria.

Agite ergo ſtudioſiſſimi adoleſcentes excolite veſtrum bonis artibus animum, vrgete ſtudia veſtra alter alterius ſtimulo incitati vires animis ſpem viribus adijcite, ſummo ſtudio, & alacri ope vobis eſt incumbendũ, ne obicijat Menædemus Eratrienſis, quæ ſtudiorũ cauſa Athenas petẽtibus obijcere ſolebat, eos primo anno fieri Sapiẽtes, ſecundo Philoſophos ideſt amatores ſapientiæ, tertio Rethores, quarto Grãmaticos, quinto inalphabeticos; per legitimos tramites ad ſumma vſque iuriſprudentiæ faſtigia vobis eſt con tẽdendũ. Ego quidẽ operã meã deſiderari nõ patiar, ſed interpretabor N. & ita interpratabor, vt pollicear quantum in me erit omnẽ operã, diligentiam, ſtudiũ.

En vobis geminos Diogenis homines effinximus ſapientiſs. & inſipientiſs. nunc oportet addamus duos quos tantum Democritus conſtituebat Deos Pœnam, & Præmium, primus tribuit homini inſipienti dolorem, exilia, quæſtiones, tormenta, vulnera mortem; Secundus vero ſapienti concedit otiũ, tranquillitatem, quietem in ciuitate beneuolentiam

in ani-

in animis omnium, ascensum ad magistratus, & dignitates; spem ad opes, & diuitias innumeras. Hunc igitur sapientiss. Diogenis hominem sectemini; hunc complectamini, cum hoc inuigilate, cum hoc pernoctate; futurum est enim, vt vos quoque ipsi quandoque similes euadatis. Me Ducem, seu vt moderatius loquar, me indicem habebitis perexiguũ fateor ingenij; sed certe affectus ingenui: Dixi.

F I N I S.



